



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XLI. Litteræ Karolo V. Francorum Regis, quibus potestatem facit Gaucelino de Vairolis Seneschallo Cadurcensi emendi possessiones & latifundia in pago Cadurcensi, non obstantibus constitutionibus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**

## XLI.

Litteræ Karoli V. Francorum Regis, quibus potestatem facit Gaucelino de Vairolis Seneschallo Cadurcensi emendi possessiones & latifundia in pago Cadurcensi, non obstantibus constitutionibus regiis.

*Ex archivo regio Parisiensi.*

**K**AROLUS &c. Notum &c. quòd nos humiliter requestam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairoliis Militis domini de Albanca nobis porrectam recepimus continentem quòd cum Senescalliam Caturcensem, in qua extitit oriundus, quandiu viveret in humanis, auctoritate regia obtineret; & in eadem Senescallia, dum Senescallus existeret, emerit & acquisierit loca de Roussilhione, de Valle Rupheria, & sancti Petri de Foliis in dicta Senescallia consistentia, nec non quosdam alios redditus, terras, & possessiones in loco de Cayslucio seu ejus districtu prædictæ Senescalliæ situatos, timens ipse Miles ne pro tempore futuro possit sibi impingi vel opponi quòd hujusmodi acquisitiones seu emptiones contra ordinationes vel constitutiones regias vel stilum & consuetudinem Senescalliæ prædictæ aut aliter acquisierit, propter quæ idem Miles vel heredes & successores sui aut ab ipso causam habentes in iisdem acquisitionibus seu emptionibus possent turbari in futurum seu aliquo modo molestari, supplicans super hoc per nos sibi nostram gratiam elargiri; nos considerantes grata & lauda-



billia servitia quæ idem Miles & prædecessores sui nobis & prædecessoribus nostris Regibus Franciæ fideliter & honorificè impenderunt, ex plenitudine nostræ regiæ potestatis, certa scientia, & gratia speciali, contractus supradictos hujusmodi acquisitionum seu emptionum & quoscunque alios licitos & per eundem legitimè factos ratificamus, laudamus, approbamus, & tenore præsentium confirmamus; eidem auctoritate prædicta concedentes quòd ipse, heredes & successores sui, & ab ipso causam habentes & habituri in futurum, loca, ac redditus, terras, & possessiones prædictas sic per eum acquisitas valeant & debeant tanquam suum proprium patrimonium & hereditagium habere, tenere, & perpetuò possidere liberè & impunè; statutis, ordinationibus & constitutionibus regiis, usu, stilo, & consuetudinibus Senescalliæ & patriæ prædictarum & aliis in contrarium editis nonobstantibus quibuscunque. Quod ut firmum &c. Salvo &c. Datum apud nemus Vincennarum anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, & regni nostri octavo, mense Maij.

X L I I.

Aliæ litteræ ejusdem Regis pro eodem  
Gaucelino de Vairolis.

*Ex eodem archivo regio Parisiensi.*

**K**AROLUS &c. Notum facimus universis præsentibus & futuris quòd nos humilem requestam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairolis Domicelli nati dilecti & fidelis Gaucelini de  
m ij